et vestram Facultatem in omnibus esse sanctam unita-
tem: itaque vigeat inter nos libere κοινωνία consiliorum
et admonitionum, ubi opus est. De Hunnii obitu scripsit
quidam ex Misnia ad amicum huc totidem verbis. "
Hunnii obitus, qui fauces et guttur maledicentis- "
simum angina occupasse perhibetur, ubi die Veneris "
ad diem usque Lunae jacuerat elinguis: non dubito quin "
dudum ad vos allatus sit. En Dei judicium. Tantoque "
ventorum turbine ipsum evexit Deus, ut arbores "
non paucas ac etiam parietes hic et alibi dejecerit, "
ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις &c. Ab alio amico scribebatur
Leyserum pro cordis palpitatione sedanda ab Electore
accepisse dono ac nobiliolum cum redditibus annuis
multorum millium. καρδιακὸν sane conveniens
καρδιαλγίᾳ. Devorant viduarum domos. Vereor ne pau-
lo post plus palpitet; ita caecus furor omnes occupa-
vit. De comitiis altum hic silentium. Post longum
silentium, emisit tandem controversiarum Euch: unam:
Nescio quam bonis avibus. Exemplum misi D. Polano,
quod volo vobis esse commune. Praestaret forte finem
esse scriptionum, quia mundus tandem non capiet. Deus
sanctis vestris laboribus aspiret magis magisque et
te diu Ecclesiae servet. Amen! Heidelb. 22. Maij
1603.

T.T.
D. Pareus.

Johannes Magirus Clariss. D. Davidi Pareo S.P. 33.

Nudius tertius venit ad Collegium nostrum ado-
lescens ingenio perfervido, moribus linguaque pro-
tervus, is ita narrabat, se missum fuisse ut et
disputationem primam de sacrarum scriptu-
rarum authoritate adversus Jesuitarum impostu-
ras, quam examinandam proposueras ad 27. Aug:
nobis redderet, simulque ad eam disputationem
nos humaniter invitaret, accepi animo grato
sed quo minus ad vos accederem mihi licebat,

causæ et multæ sunt et graves, quas si voles suo cognosces tempore, nunc hæc pauca respondere volui. Principio quidem etiam atq; etiam oro, ut diligenter apud animum tuum perpendas, verba illa quæ Dominus et judex noster elocutus est Matth: 12. v. 36. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die judicii, ad quam quidem diem perveniemus non ita multò post, si verò de otioso verbo ratio, nem exiget, cogita obsecro, quid de perniciosis futurum sit, quid de falso, quid de contumelioso. Appellasti jesuitas impostores, protervos, dixisti Jesuitis cruentis consiliis et machinationibus Regum et Principum jugula passim petere, jesuitarum impudentiam esse intolerabilem, pessimos esse hæreticos, turpissimam bestiæ caudā, sic scilicet animos irritare soles, hæccine Christiana et reformatorum Doctorum modestia! Non dices falsum testimonium Dei mandatum est, quæ tu crimina jesuitis objicis falsa esse dico, tibi vel probanda omnia, vel certè Deus precandus, ut poenam maledicentiæ tuæ clementer avertat. Fateor mira me expectasse cum disputationis titulum et brevem illam verbis sed turgidam maledictis legerem præfatiunculā, percurrere theses omnes volo diligenter, quo argumento ostendas aut sanè ostendere coneris impostores facere jesuitas, invenio planè nihil nisi sic argumentari volueris. Jesuitæ docent in rebus fidei controversis judicem esse Ecclesiam. Ergò jesuitæ sunt impostores protervi, jugula regum et principum petunt, sunt pessimi hæretici, sunt intolerabiles.

quam tu rationem si valere putas ad haec tam atro-
cia efficienda, valde metui miserere. Quid enim? Chri-
stus Dominus Matth: 18. numquid Ecclesiam judicem
instituit, si quid litis inter Christianos natum fu-
erit, cum mandavit, dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non
audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, dices,
ne impostorem esse? inter vos fratresque vestros
controversia de Epistola S. Jacobi (ne longius abeam)
urget vos sacram esse asseritis, Lutherus straminea
et Dei spiritu inanem, quin agitis quod voluit Domi-
nus et dicitis Ecclesiae et vero etiam auditis Ecclesiam,
quam domum Dei, quam columnam et firmamen-
tum veritatis appellat Apostolus 1. Tim. 3. Tu vero
thesi 29 ais si ideo credendum certo sit, quia Ecclesia
Christiana sic judicat: universa religio nostra stat sup.
arena. 2. parum profecto, ut vides, apostolice, mi-
nus Evangelice, nam ita Dominus Matth. 16. Edificabo
Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt.
Quod vero thesi 61. Augustini exemplum adducis, mihi
de placet, speroque diligenter si in id intueberis, fu-
turis fore ut in eadem Ecclesia cum Augustino
veritatem quaeras aliquando et invenias, quod ego
quidem vehementer opto, Deumque precatur, ut gra-
tia sua te adjuvet, tu vide ne repellas. Haec quidem
breviter indicare hoc tempore volui, si videro mo-
deste atque Christiane te confligere mecum desi-
derare, et crebrius et accuratius, et quidem de hac
ipsa re quam disputandam proposuisti, agam.
Vale, Deus te sua gratia illustret. Spirae 7. Sept.
1603.

Salutis tuae cupidus
servus in Christo.

Joannes Magirus.